DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè difcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ menfis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M.° FELICE VICQ D'AZYR, Doctore Medico Præfide.

An Æther Hemicraniæ Nervofæ?

I.



UMANUM cerebrum, fons motûs fenfûfque, officina cogitationum & memoriæ, tot & tam diverfis obruitur malis, ut fermè obvios omnes de capite morbofo querulos audiveris. Tenuis etenim encephali contextus, mollis, delicatulus, totaque pulpofa medullaris compages. Sulcos ubiquè ambagiofos, anfractus exiguiffimos, exiles & divaricatos tramites, flexuofos ambitus deprehendit anatome. Liquidum certè decurrit (1) per anguftiffimos nervorum canales. Hinc tenella eorum ftamina comprimi, atteri, dilacerari, liquorem nerveum aliquâ infici tabe, difflari, exhauriri poffe nulli non notum. Ex illâ fublimiori arce omnes penè & innumeræ nervorum ægritudines immaniter debacchantur. Nonne has inter præcipuum jure locum obtinet hemicrania? Hæc eft nempè dolorofa & diutina affectio quæ dimidiam tantùm capitis partem excrucians, per periodos plerumquè exacerbatur. Variis, confpicuifque difcriminatur differentiis hemicrania. Modò offeæ cerebri membranæ, lapideæ concretiones vel polypofæ, lapfus graves, contufiones, offa introrsùm coacta fractaque, putredinofa corruptio, ulceraque fordida anfam ipfi luctuofam præbent. Vix ulla tunc fpes fanationis affulgere videtur. Pravis modò humoribus ventriculum & inteftina irritantibus, mali prægreffi perverfæ curationi, hæreditariæ difpofitioni natales debet. Scorbutica etiam, arthritica, veneraque labes, hemicranias inducere valent. Harum curatio hujus inftituti non eft. Hanc unam fcilicet in quâ manifeftam nervorum læfionem feries effectuum demonftrat, exarare, & quâ ratione, ad ætherem ut ægrotanti fuccurratur, ad facram velut anchoram confugiendum fit, diftinctis articulis evolvere neceffum duximus.

I I.

FŒMINAS adoriuntur frequentiùs hemicraniæ quàm mafculos. Ifte etenim fæpiùs ab organorum debilitate pendet morbus. Rariùs eo laborat vir torofo corporis robore donatus, ni à parentibus extabefcentibus ortum duxerit, aut perversâ degendi normâ primitivam immutaverit naturam. Fœmina autem viro debilior efformata, otio plerumque & deliciis molliter diffluens, texturam fortitur teneriorem, fenfumque exquifitum nimis & valdè irritabilem. Hinc jure in totó fyftemate nervofo mobiliffimas mulieres delineavit nuper lepidiffimus autor (2). Sive autem lateant in regione epigaftricâ, five in utero, five in univerfo tenelli corporis habitu, caufæ ftimulantes, nihilominus facto velut agmine catervatim in caput irruunt inordinati fpiritus, inibi que dilaniantes excitant fpafmos. Hinc mille oriuntur turbæ morbi ingruentis indicia. Paroxyfmo quidem ineunte omnes artus premit languor gravativus, fit obnubilatio ante oculos, fenfuum abolitio, tremor, ftupor;

(1) Vide Thefim: *An perfectio digeftionis à latice nerveo?* Prop. 1777.

(2) M. ROUSSEL D.M. MONSP. in opere perelegantì cui titulus; *Syftême phyfique & moral de la femme.* Paris, chez Vincent. 1775.

hanc modò capitis partem diſtendit, contundit, mòx alteram velut pertundenti malleo dividit & excruciat atrox, exquiſitus que dolor. Succedunt nauſeæ, ructus aceſcentes, angor verſùs præcordia, pulſus durus, conſtrictus, vix patens. Tùm quandoquè vomiturit æger, pituitam que biliosam eructat, quod acceſſionis ſæpiùs indicat finem. Naturæ igitur viribus nimis fidens, ne tot preſſam ærumnis otioſus contempletur artis miniſter; è contrà dum viget malum, æthereum nectar guttatim propines. En truculenta, inſtar incantamenti remittuntur, evaneſcunt ſymptomata. Quid ſit, & quâ obtineatur methodo tam ſalutare pharmacum, mòx publici faciam juris.

III.

ÆTHER nuncupatur liquor pellucidus, fragrans, ſapidiſſimus, inflammabilis, aquæ ſupernatans, ex acido ſimùl & ſpiritu vini, diſtillationis ope elicitus. Differt ab acidis dulcificatis quorum in ſolâ commixtione præparatio conſiſtit. Differt pariter à *liquore anodyno minerali Hoffmanni*, qui nihil aliud eſt quam æther & vini ſpiritus ſimili quantitate uniti, cum olei (1) vini guttis aliquot. Sic autem obtinetur æther: in retortam vitream capacem, balneo arenæ calido impoſitam, per vices affundantur alkool & acerrimi acidi vitriolici partes æquales; ſenſim agitentur. Retortæ roſtro adaptetur ampulla duplici instructa tubo, quorum alter illud excipiat, in follis vitreæ ampliſſimæ tubum excipiatur alter. Rimas inter luto pingui ritè obturatas ſervetur foraminulum, vel ad follis gibboſitatem; firmentque juncturas faſciæ lineæ calce non vivâ & ovi albumine obductæ. Sic inſtitutis rebus, auge ignem, feſtina que ad *bullitionem;* quippe quæ ad ætheris formationem valdè neceſſaria. Hâc cautelâ tantò major erit producti copia. Quandiù peragitur opus, frigidiſſimâ immerſum teneatur receptaculum, linteiſque eâdem imbutis, ac ſæpè renovatis cooperiatur retorta. Prodibunt intereà quatuor liquoris ſpecies. Primò ſpiritus vini ſub-æthereus, deindè genuini ætheris ſtriæ, quæ ubi raræ apparebunt, tunc acidum ſulphureum, leve, ſub-æthereum, ſenſim roboreſcens; denique oleum flavum & leve, *quod oleum dulce vitrioli* quondam, nunc *oleum vini* dicitur. Quando tertius liquor jam apparet, vulgò immutatur receptaculum, prioreſque in vaſe alio ritè occluſo reconduntur. Hos deindè ſupra alkali fixum diſtilla, dùm uſque ſtriæ pauciores vaſorum parietes allambant, eritque æther rectificatus, quem chymici quidam (2) naphtæ aſſimilant.

Verùm non ex ſolo acido vitrioli conficitur liquor æthereus; ſed quantò operoſiùs, ſumptuoſiùs que cùm aliis res illa peragitur! Acidum quidem nitri, ſi vividius adhibeatur, exploſionis diſcrimen infert, aut ſi debilius, vel minimam ætheris copiam ſuppeditat. Nec fiet æther marinus, niſi res agatur cum ſpiritu ſalis acerrimo, qualem eſſe *liquorem fumantem libavii* noſcitur, aut ipſum acidum ſalis marini ex calce zinci concentratum, juxta methodum *baronis de Bormes. Acetum* tandem *radicale*, acidi univerſalis ad inſtar adhibitum, acetoſum ſubminiſtrat ætherem, pauciſſimum verò, & aquæ vix innatantem. Hìc memorandi locus recèns inventam methodum (3), quâ triplex ille æther *citò* efficitur, *facile*, *levi ſumptu*, *ſine ullo* operantis *diſcrimine.* Hic ſatis nequeo meritis extollere laudibus novæ operationis autorem D. Joan. Bapt. DE LA PLANCHE, Pharmacopæum Pariſienſem in rebus chymicis acutiſſimum. Primus etenim, anno 1773 (4) ſuſcepit, feliciter que perfecit opus.

Ut nitroſus juxta methodum novam impetretur, ſit deſcriptus pro vitriolico vaſorum apparatus, non calefactus tamen, in quo retorta tubulo ad apicem inſtructa vitriolici nitri puriſſimi pulverati libram contineat. Per huncce tubulum partitis & alternis vicibus affunde ſpiritus vini & acidi nitroſi ana uncias octo, clauſo accuratè ſingulis vicibus, tubuli orificio. Fit primo unionis tempore calor ingens, fervor tumultuoſus excitatur; vapor fulvo-albidus vaſa obnubilat; mox produnt ſtriæ in receptaculis

(1) Huic præſertim oleo vim ſedantem tribuit, *Frideric. Hoffm. Crantz*, Mat. Med. T. 2, p. 62.
(2) *Crantz*, loc. cit.
(3) Hanc ſuſpicatus eſt D. *Baumè*. Parmacop. Pariſ. peritiſſimus. *Diſſertation ſur l'Ether.*
(4) Quod inventum celebravit etiam D. *Dazille*, in libro : *Obſervations ſur les maladies des Négres.* Préface pag. 11, & ſuiv. Paris, chez Didot. 1776.

conſpicuæ ; ſimul erumpens elaſticum , aperto identidem foraminulo , diſſipatur. Ubi ſicca apparet materies retortæ fundum occupans , ac lentè diſtillatio fieri incipit , ignis gradatim additur , dum uſque nihil tranſeat. Refrigeratis , disjunctis que à ſe invicem vaſis, duplex diſtincte obſervatur liquor. Alter levior , eſt verè nitroſus æther , alter verò acidiuſculus acetum ſtillatitium refert, qualis prodit ex methodo D. *Navier* , Medic. Catal. In retortâ autem, pro nitro immiſſo , tartarus vitriolatus albiſſimam in molem concretus reperitur. A liquore infra poſito ſeparatus æther , atque aliam per retortam , leni igne ſupra alkali fixum diſtillatus , evadit puriſſimus (1) , ab æthere vitriolico ſedulò diſtinguendus (2).

Sic conficitur æther marinus , non nullis tamen admiſſis differentiis. 1°. Sal commune pro nitro adhibetur. 2°. Neceſſe eſt ſpiritus vini decem pro octo acidi vitriolici unciis uſurpari. 3°. Ante horum affuſionem , ſic calefactam fuiſſe retortam, ut candeſcente fundo, manus tamen partis ſupremæ calorem ſufferat. 4°. Prior affundi debet ſpiritus vini , tum uterque alternatim (3) ; & reliquum ut ſuprà.

Simplex & breve mox recenſitorum memoriale conſcripſit , idem D. DE LA PLANCHE. Præclaram miratus inventionem D. BUCQUET hujuſce ſcholæ celeberr. Chemiæ Profeſſor, & maximè colendus, experimenta iteravit, peritiſſimam manum præſtante eodem pharmacopæo, cujus libellum verborum adornavit leporibus, atque regio ſcientiarum ordine univerſo plaudente , perlegit.

Si criſtalla æris eâdem ratione tractaveris ac nitrum tractatum fuiſſe vidimus ; erit *æther* vegetabilis qui *acetoſus* dicitur, ſuo, ab aliis, ſapore differens , tùm & inflammabilitatis modo , tum demum gravitate ſpecificâ.

E liquoribus fermentatis omnes dephlegmati & ſuo pingui oleo orbati ſpiritus , ætherem largiuntur , ſapore , halitu que vario donatum , pro variis è quibus elicitur ſubſtantiis. Sic ex liquoribus vulgò, Rum , Rack, Taffiaque vocatis , ſic ex aquâ vitæ, quam ex quâdam (4) cereviſiâ depromunt Angli, chymicâ ἐγχειρήσει huc uſque inauditâ , mòx que proditurâ in lucem, longè à ſe invicem diſtinctos ætheres extraxit idem Laudatus D. DE LA PLANCHE. Hos duntaxat placuit indicaſſe diverſos ætheres, de ſingulis horum proprietatibus ignotis ſileam. Nunc tantùm de vitriolico.

IV.

ÆTHERIS univerſalis ubi guttæ aliquot aquæ ſimplici ſaccharo ve affuſæ promptè ſorbentur , brevi nervos ſuccutiunt , hinc vultûs rubor calorque ; cientur lacrymæ. Ardor, mox amæni frigoris ſenſus , os fauceſque & ventriculum benignè occupant. Præſtare id ſolet parca doſis ; major verò, ut drachmæ unius (quam nonnulli , ob conſuetudinem ſufferunt) fit quaſi inebrians , brevemque excitat nec injucundam cerebri perturbationem , quâ ceſſante , deſinit vulgò & paroxyſmus. Tota igitur actio ætheris exercetur in ventriculum & in nervos. Gaſtrodyniis itaque , tum flatuoſis, tum ſpaſticis medetur ; Dyſpepſias mirè præcavet , curatque ; ſingultus ſedat , languores minuit , ſyncopem & aſphyxias diſcutit. Theriacæ adinſtar (5) , nauſeas compeſcit , anxietates , hoſque angores verſùs præcordia, quos ſuſcitat tædioſa lecticæ, aut navis (6) agitatio. Eſt ne etiam verum levamen in hemicraniæ inſultu ſecurè commendandum ? Certe quidem. Nonnè motus circulatorius adaugendus , nervorum agitatio compeſcenda , ventriculo

(1) Intrà 15 horæ minuta mixtionem & inter 30 duntaxat , totam operam executus eſt laudatus chymiſta. Ex indi[illegible]a doſi , quatuordecim producti uncias obtinuit , quibus cohobatis , tres tantùm eductæ fuerunt ætheris nitroſi rectificatiſſimi.

(2) 1°. Per proprias dotes. 2°. Per nitri abſolutam decompoſitionem. 3°. Per ſpiritus ſulphurei defectum, 4°. Per reſidui albedinem. 5°. Per ætheris formationem abſque ignis torturâ.

(3) Rebus ſic peractis, intra 15 horæ minuta , tota perfecta eſt operatio. Rectificando , duæ unciæ ætheris, cum drachmis quatuor obtentæ fuerunt. Ejus autem diſcrimen à vitriolico tantum patet, quantum nitroſi mòx vidimus.

(4) Quæ cerivilia conficitur ex gemmis arboris Gallicè *ſpruce* vocatæ , & latinè *abies pectinata*. Juſſ. reperitur vulgò in inſulâ *Miquelon*.

(5) Vid. Gazette de Santé , 3 mars 1774.

(6) Id ſe expertum fuiſſe affirmavit nobis , idem D. de la Planche , in recenti ſuo itinere ad inſulas Americanas.

prospiciendum ? Omnibus pollet dotibus æther, ut enumeratis subveniat indicationibus. Nervosas etenim cerebri membranas subtiliùs penetrat, obstructiones, humoresque depellit sanguinis morâ heterogeneos, benigno rore nervos proluit, perterritos, vagos que temperat spiritus & sedat, delicatulas, maximè que sensiles ventriculi roborat membranas, restituit que in integrum digestiones. Exempla proferre liceat. Nobilem novi hujusce urbis fœminam, novi pariter mercatorem eodem sæpiùs conflictatos malo. Ambo semel in mense vel bis quandoque, hæc ad capitis posticam regionem, ille ad anticam dolore fixo sibi que constanti atrocitèr punguntur & convelluntur. Ambo debili organorum constitutione donati, sævientibus accessibus tristes, meditabundi ; ventriculi debilitatem, ructus, vomitus que experiuntur. At protinùs, mirabile dictu ! Ætheris aliquot guttularum haustu, victus hostis vertitur in fugam. Benè multi etiam Schol. Paris. Medici, mihi talia enarrantes, propositionis nostræ veritatem fulciunt. Non minoris etiam momenti medici (1) Germani authoritas, qui ad gravissimos dolores hemicraniæ mitigandos, sedandosque liquorem nostrum non parvi faciebat.

V.

CUM spasmodicæ sint, aut nervosæ sæpè sæpiùs causæ hemicraniam provehentes, hinc facilè intelligitur antispasmodicorum agendi modus; cùm activitate simùl & mobilitate donentur, necessariò sequitur mutatio vividissima quidem, at celerrima ; quæ pars primò ardebat, deindè quasi de repentè refrigescit ; quæ summè tensa erat, subitò relaxatur. Tales edit effectus æther, sic, at minùs feliciter camphora, nec aliter tam laudata à paucis annis menthæ anglicæ species, quæ ob saporem, piperitiæ cognomen retinuit. Finge nunc tibi quantùm in totam corporis œconomiam valeat bona malavè plexuum abdominalium affectio ; quàm arctè universæ partes horum ope inter se consentiant. Porrò neminem latet quàm facilè hos subeat, quàm vividè hos succutiat, quàm jucundè hos immutet tam subtilis, tam vividus, tam benignus ille liquor. Equidem haud usque radicalem Therapeiam offert nobis illud medicamentum. Modò nascentes omninò curare valet hemicranias ; veteres autem inveteratas que, si non radicitùs expellit, cruciatus saltem dolorumque feritatem emollit ac demulcet. Antequam nausea ructus que miseros lacessant, impedit noster propinatus liquor, ne convulsis plexibus nervosis stimulentur biliosi ductus; & materiei viridis vômituritioni divinitùs obsistit. Hinc analogiâ, experientiâ & autoritate satis superque fretus ac munitus concludam :

Ergò Æther Hemicraniæ nervosæ,

(1) *Bondy Eger*, in dissertat. de hemicraniâ, ann. 1738. Sic Fatur : « Neque contemnenda est efficacia » olei vitrioli cum satis largâ quantitatespiritus theriacalis, aut simplicis vini rectificatissimi, diluti & » aliquandiu digesti : Unde valdè mitescit acidum ejus, & in doloribus mitigandis, restituendàque diapnoë » egregios effectus edit, planè que subindè conspicuos.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus RAIMOND, *Regis exercitùum in Insulâ Corsicâ Medicus*

M. Paulus-Gabriel LE PREUX, *utriusque Pharmaciæ Professor designatus.*

M. Guido DANIÉ DESPATUREAUX.

M. Carolus-Nicolaus D'ESLON, *Serenissimi Comitis Atrebatum Medicus ordinarius.*

M. Ludovicus-Claudius GUILBERT, *è Societate Medicâ Edimburgensi, antiquus Regis Exercituum Medicus ordinarius.*

M. Cleriadus VACHIER.

M. Antonius-Joannes-Baptista-Maclovius GUENET, *Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ.*

M. Edmundus-Claudius BOURRU, *Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus,*

M. Petrus-Josephus MORISOT DESLANDES.

Proponebat Parisiis AUGUSTINUS ROUSSEL DE VAUZESME, Altissiodorensis, Facultat. Saluberrimæ Parisiensis Medicus, Theseos Autor. A. R. S. H. 1778. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1778.